

hoc concussa metu mentem, Iuturna virago
 aurigam Turni media inter lora Metiscum
 excutit et longe lapsum temone reliquit: 470
 ipsa subit manibusque undantis flectit habenas,
 cuncta gerens, vocemque et corpus et arma Metisci.
 nigra velut magnas domini cum divitis aedes
 pervolat et pennis alta atria lustrat hirundo,
 pabula parva legens nidisque loquacibus escas, 475
 et nunc porticibus vacuis, nunc umida circum
 stagna sonat: similis medios Iuturna per hostis
 fertur equis rapidoque volans obit omnia curru
 iamque hic germanum iamque hic ostentat ovantem
 nec conferre manum patitur, volat avia longe. 480
 haud minus Aeneas tortos legit obvius orbis
 vestigatque virum et disiecta per agmina magna
 voce vocat. quotiens oculos coniecit in hostem
 alipedumque fugam cursu temptavit equorum,
 aversos totiens currus Iuturna retorsit. 485
 heu quid agat? vario nequiquam fluctuat aestu,
 diversaeque vocant animum in contraria curae.
 huic Messapus, uti laeva duo forte gerebat
 lenta levis cursu praefixa hastilia ferro,
 horum unum certo contorquens derigit ictu. 490
 substitit Aeneas et se collegit in arma,
 poplite subsidens; apicem tamen incita summum
 hasta tulit summasque excussit vertice cristas.
 tum vero adsurgunt irae, insidiisque subactus,
 diversos ubi sentit equos currumque referri, 495
 multa Iovem et laesi testatus foederis aras,
 iam tandem invadit medios et Marte secundo
 terribilis, saevam nullo discrimine caedem
 suscitatur irarumque omnis effundit habenas.
 Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine
 caedes 500
 diversas obitumque ducum, quos aequore toto
 inpue vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
 expediat, tanton placuit concurrere motu